Quelle: http://manuscripta.at/?ID=496
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

quod sicut de homine est coniuncti homo est coloratus et sapiens, et disiuncti homo est coloratus, item homo est sapiens verum est, ita et coniuncti homo est corpus et anima, et disiuncti homo est corpus, et item homo est anima verum est. Iuxta predictam dialecticorum rationem de quocumque praedicatur totum, et illud quod est pars totius. Loquitur in eo quod ait non hoc vel hoc et separatim non ut corpus vel anima non ex eo sensu intelligendum est quod una dictio sine alterius additione vera non sit. Sed quod nec illud unum nec alterum ad faciendum hominem de quo vere solitarie dicitur aliquid solitarium esse non possit. Aliud est enim solitarium esse, aliud solitarium dici. Non enim solitarium esse necesse est quod solitarium dicitur, et quod solitarium esse impossibile est non est impossibile solitarium dici. Et hi quidem qui dictionem utramque dicunt non posse fieri solitariam in argumentum sui erroris vel simul praedictam albi et nigri confusionem sive ceterisque minus intelligentibus videntur assumere. Sed illi qui alteram exsufflant cum alteram recipiant a dicto sui erroris argumento garriunt vel non minus contra veritatem, unum vero contra se ipsos hi dicant. Concedunt namque esse homo corpus abhominantes homo est anima vel spiritus. Nec tamen cogitant quod ratione unius partis esse eius quod ex ea constat sit esse et de ea praedicari ipse possit cum esse partis alterius neque fit esse eidem quod simul constituit, neque de eo dici possit. Praesertim cum huius generis quod de composito praedicari negant propria potentia i. rationalitate et accidentale affectione i. scientia de ipso affirmari concedant. Nam quod illorum aliqui dicere gestiunt aliam rationalitatem quam illam quae est humani spiritus de homine dici, et similiter scientiam aliam et aliam corporalitatem quam quae humani corporis est, ita contemptibile vel tacendo quod contra hoc dici possit omnino praeteriamus. Contra illud vero quod nobis opponunt spiritum hominis esse incorporalem, hominem non esse incorporalem, ac per hoc non esse verum quidquid de parte praedicatur de eo quod ex ea compositum est affirmari, respondemus. Cum dicitur spiritus est incorporalis, negare potius ab eo quod ad genus eius pertinet potestatem, quam naturam spiritus affirmare. Omnis enim privatio quod debetur naturaliter removet. Haec nos dicimus a toto ex necessitate removendum quicquid removetur a parte. Sed quicquid de parte naturaliter idem vere de composito affirmandum.

In parte igitur non est id quod est. Quod vero non est ex hoc atque hoc sed tantum est hoc, illud vere est id quod est et est pulcherrimum fortissimumque quia nullo nititur

In parte quidem. Quasi homo est et corpus et anima. In parte quidem una non est id quod est in altera. Scilicet alio modo saltem est esse partis unius atque compositum aliquid est, et aliud alterius partis esse atque similiter ipsum compositum est coniunctimque sive disiuncti esse dicitur aliquid. Nec modo subsistentium ex diversis subsistentibus compositorum ut est homo vel lapis, verum etiam simplicium, ut est hominis anima, quae subsistens ex nullis subsistentibus constat, et omnium subsistentiarum vel affectionum accidentalium, et denique omnium quae sic sunt ex principio ut non sint principium, quaelibet praedictum est multa sunt ex quibus unum quod aliquid est. Ac per hoc vera ratione nullum eorum est id quod est. Quod vero non est ex hoc atque ex hoc i. non ex diversis, sed tantum est ex hoc cuius scilicet est unum solum quo sit, illud vere est id quod est, non aliud ab eo unde est, ut est eius divinitas. Non est enim a divinitate aliud quo deus sit, nec est unde divinitas ipsa sit, non quod ea deus est. Et quod iubet hic ita singularitate et simplicitate generis significantes et simpliciter unum est pulcherrimum propria summe dignitatis specie, fortissimumque sua incomparabili potestate. Quod vero recte de

non bona distinctio textus. Nam emendatiora exemplaria ita distinguunt. non vel corpus vel anima. et deinde inferunt: Igitur non est et rt.